



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 173. An & qualiter subsistat Matrimonium contractum sub conditione impossibili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

4. Reſp. ad ſecundam tertio: Matrimonium celebratum ſub conditione honeſta contingenter futura ſuſpenderit uſque ad conditionis eventum, Eſt communis, & expreſſe colligitur ex *c. de illis. c. ſuper eo. c. ſin. h. t.* Probabiliſ verò videtur, matrimonium tale adveniente conditione ſuſſiſtere, abſque novo conſenſu, ut Abb. in *cit. c. de illis. n. 5.* Sanch. *L. 5. d. 8. n. 5.* Cõn. *d. 29. du. 1. concl. 3.* & *Castrop. n. 5.* Nav. & alii contra Pont. *L. 3. c. 14. n. 3.* Henriq. *L. 11. c. 11.* Sotum in *4. d. 29. q. 2. a. 1. concl. 3.* S. Bonav. &c. Ratio reſponſ. eſt, quia conſentens ex tunc in matrimonium ſub conditione futura verum conſenſum de præſente habet, qui, ſi adveniente conditione non fuit revocatus, eſt præſens moraliter, & omnino perfectus, & abſolutus, adeoque ſufficiens, non ſecus; ac contingit, dum matrimonium ſine conditione de præſente contrahitur. Sic enim prius conſenſum ſuum exprimit vir ſub conditione tamen imbibita; ſi mulier conſentiat, qua conſentiente, opus non eſt, ut vir denuo conſentiat; ſed ejus conſenſus, qui in ſe conditionatus erat ante mulieris conſenſum, redditur abſolutus & perfectus adveniente mulieris conſenſu. Huic ſententiæ favet *L. prior ff. qui prior. in pign. & l. hac vendito. ff. de contrah. empt.* ubi ſtatuitur, pactum initum ſub conditione, eâ adveniente firmum & ſtabile reddi abſque ulla additione. Neque conſenſus ille v. g. conſanguineorum ſub conditione diſpenſationis obtinenda eſt illegitimus; non enim eſt conſenſus inhabilium pro tempore, quo inhabiles ſunt, ſed potius pro tempore, quo habiles eſſe debent; ſiquidem poſita diſpenſatione & ſublato impedimento, tollitur omnis inhabilitas. Porro in eo non conveniunt AA. num ubi Trid. receptum, Parochus & teſtes intereſſe debeant, non tantum illi conſenſui matrimoniali conditionato, ſed etiam ipſi completioni conditionis. Negat id ipſum Sanch. *L. 5. d. 8. n. 24.* exemplo matrimonii contracti per procuratorem, in quo opus non eſt, ut Parochus & teſtes conſtet de mandato procuratori dato. Uti etiam neceſſe non eſt, dum contrahunt conſanguinei, Parochus & teſtibus oſtendere diſpenſationem. Affirmat è contra *Castrop. n. 11.* cum Cõn. *d. 29. n. 15.* Hurtad. *de matr. d. 7. diff. 7. nu. 24.* eò quòd aliàs non aſſiſtant matrimonio; cum conſenſus ille conditionatus non conſtituat matrimonium, niſi eo tempore, quo impletur conditio. Unde etiam Parochus & teſtes aſſiſtere nequeunt tali conſenſui conditionato, niſi pro tempore, quo ſciunt conditionem impletam, ut Fagn. in *c. ſi conditiones. h. t.* apud Reiffenſt. *h. t. nu. 22.* Secus verò accidit in duobus illis exemplis adductis à Sanch. ſiquidem poſito mandato aut diſpenſatione, tamen ea ignota ſunt Parochus & teſtibus, illi adhuc præſentes ad ſunt conſenſui conſtituenti matrimonium, ſi mandatum & diſpenſatio exiſtunt.

Quæſt. 173. An & qualiter ſuſſiſtat matrimonium contractum ſub conditione impoſſibili.

1. Reſp. Conditio impoſſibilis (ſecus ac accidit in aliis contractibus, excepta diſpoſitione ultimæ voluntatis, qui omnes propterea ſunt nulli, ut conſtat ex *S. Si impoſſibilis. Inſt. de inutil. ſtipul. & L. non ſolum, de A. & O.*) adjecta matrimonio illud non irritat, ſed rejicitur, habeturque pro non adjecta, ac proinde contractum matrimoniale purum relinquit. Sic expreſſe ſtatuitur in favorem matrimonii ſpecialiter *c. ſin. h. t.* uti

idem in favorem ultimarum voluntatum diſponitur. *S. impoſſibilis. Inſt. de hered. iuſt.*

2. Porro ut conditio impoſſibilis non vitiet matrimonium, requiruntur ſequentia. Primò, ut contrahentes (intellige, ambo, ſeu uterque, ut Sanch. *L. 5. de matr. d. 3. n. 12.* Pirh. *h. t. n. 17.*) ſciant, tam conditionem eſſe impoſſibilem, quam juſte rejicere hujusmodi conditiones, ſeu habere pro non adjectis. Hujus enim utriusque ſcientiæ innititur diſpoſitio. *c. c. ſin.* dum enim Papa credit, contrahentes ignaros non fuiſſe impoſſibilitatis conditionis, & legis rejicientis illam à contractu, præſumit, non ſeridò, ſed joco adjectam, adeoque in eo caſu validum pronunciat matrimonium, quòd non faceret, ſed matrimonium haberet pro irrito, ubi manifeſtè conſtaret contrahentem ignorare vel impoſſibilitatem conditionis, vel legem rejicientem illam à contractu; adeoque præſumeretur contrahentem appoſuiſſe illam animo inhærendi ei. Ita docent *Castrop. p. 11. §. 3. n. 1.* Sanch. *L. c. nu. 11.* Pirh. *L. c. n. 18.* Ponc. *l. 3. n. 3.* quamvis de cætero, ubi dubia eſt contrahentium intentio, num ſeridò & ex animo, an joco tantum adjecta talis conditio impoſſibilis, Eccleſia præſumat adjectam eſſe ex joco, adeoque valere matrimonium, perinde ac ſi adjecta non fuiſſet, idque in favorem matrimonii, pro cuius valore in dubio ſemper judicandum eſt juxta *L. ult. de ſent. & re judic. Pirh. l. c.*

3. ſecundò, ut conditio ſit impoſſibilis ex natura, & non tantum de facto; cum ea, quæ ſpectatà hominum natura ſunt poſſibilia, non abſolute impoſſibilia, ſed difficilia vocanda ſunt; adeoque ad ea diſpoſitio illa Pontificia, utpote correctoria juris communis, extendenda non ſit; cum & juſ civile conditiones illas de facto ſolum impoſſibiles non rejicit ab ultimis voluntatibus. Ponc. *nu. 13.* *Castrop. nu. 2.* Idem dicendum de conditionibus ſolum impoſſibilibus ex accidente; & ex lapſu temporis; eò quòd & hæ non ſunt ſimpliciter impoſſibiles, adeoque neque ad has decretum illud correctorium juris communis extendendum non ſit. *Castrop. n. 4.*

4. Tertio: ut conditiones illæ impoſſibiles, non tam ſint de futuro, quam de præſente vel præterito; eò quòd hæ non ſunt propriæ conditiones, ſed demonſtrationes; Pontifex verò non rejiciat eas, quæ veræ conditiones non ſunt. *Castrop. n. 5.* Ponc. *n. 12.* Rebell. *de oblig. juſt. l. 2. q. 10. §. 4. in fine.* contra Sanch. *L. 5. d. 4. n. 3.* Covar. *4. decret. p. 2. c. 3. §. 2. n. 2.* ductos hac ratione, quòd tales conditiones impoſſibiles de præſente non rejiciantur ab ultimis voluntatibus, ex *l. ſi Mevia. ff. de hered. iuſt.* ubi hæc conditio: Si filia reſtatoris vivit; rejicitur, caſu quo reſtator nunquam filiam habuerit. Ad quòd tamen reſpondet *Castrop* in his, quæ pendent à jure poſitivo, non licere argumentari ad extendendum decretum correctorium.

5. Atque ex his jam videt, quid dicendum ad hoc, dum dicitur: conditio impoſſibilis adjecta contractui eſt potius ſignum diſſenſus; nempe diſtinguendum & concedendum: Si conditio talis apponatur relicta natura ſua, non autem ſuppoſita conſtitutione Eccleſiæ volentis, ſi contingat eam apponi, in dubio non attendendam à Judice; cum meritò præſumatur non curatam ab eo, quia eam appoſuit (niſi iſ aliud exprimat) qui contrahendo ſe conformare voluit Eccleſiæ; & quia circa alios contractus non eſt hæc Eccleſiæ conſtitutio, ideo in iis adhuc iſtiusmodi conditiones manent ſignum diſſenſus, quia relinquuntur ſuæ naturæ.